

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Thomæ Goodwini Moses & Aaron Seu Civiles & Ecclesiastici Ritus Antiquorum Hebræorum

Godwin, Thomas

Bremæ, MDCCX

VD18 12442798

Cap. XIII. De Gaulonitis & Herodianis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18703

vita contemplativa, sed & τῶν ἐκτετακέντων de supplicantibus; quum autem Philo totam Judæorum gentem vocitet τὴν ἐκτετακέντων γένεσιν nationem supplicabundam; in apri- co est, Essenos illos non è Christianæ, sed Judai- cæ gentis sinu prodiisse.

CAP. XIII.

De Gaulonitis & Herodianis.

I. **A** Liæ præterea factiones sciderunt rem Judæ- orum, quæ impropriè *Sectæ* vocantur. Ha- rum præprimis duæ fuerunt. I. GAULO- NITÆ. 2. HERODIANI.

II. *Gaulonitis* nomen dedit aliquis *Judas*, qui subinde nominatur *Judas Gaulonites*, *Joseph. antiq. l. 18. c. 1.* subinde etiam *Judas Galilæus*, de quo lo- quitur *Gamaliel Act. V. 37.* Postea surrexit *Judas Galilæus in diebus descriptionis. Joseph. ibid. cap. 2.*

III. Hæc descriptio ea fuit, quæ facta est per *Cyrenium*, aliàs *Quirinum*; (1) quod nomen uno modo in Græco habuit, at diversimodè apud In- terpretes lectum. Hic *Cyrenius*, ab Augusto in Syriam Româ missus, in Judæam venit, quam *Coponius Præses moderabatur*; ubi istam descri-
pti-

(1) In Latino catalogo Rom. Coss. vocatur *Publius Sul- picius Quirinus*, vir Consularis, eo tempore ab Augusto in Syriam ablegatus, cum Judæi *Archelai crudelitatem* multis querelis onerassent apud Augustum. Plerumque enim Consules, sequenti post Consulatum in urbe gestum anno, provincias administrandas obtinuerunt, dictique sunt *Pro-Consules*.

ptionem inñit, quam quidam incauté cum ea, cu-
jus Lucas meminit c. II. I. confundunt. (2) Utra-
que hæc descriptio imperata sub Augusto, diffe-
runt tamen; nam 1. Ea descriptio *Act. V.* solum
Syriam & Judæam censuit; Hæc *Luc. II.* πᾶσαν τὴν
οἰκουμενὴν totum orbem habitabilem. 2. Ea descriptio
fuit facta, Archelao Herodis filio Viennam in
exilium relegato, cū novennale Imperium
gessisset; Hæc publicata sub Herode Magno;
Quam sententiam stabiliunt verba Lucæ, qui
hanc descriptionem vocat πρώτην (3) primam vel
priorem, resp. secundæ illius.

IV.

(2) Benè hîc Autor distinguit inter illas descriptiones
Luc. II. & *Act. V.* Nam, ut rectè notat, descriptio *Luc.*
II. πᾶσαν τὴν οἰκουμενὴν Imperium Romanum concernit; quâ
non fuit exactum tributum, sed notatæ tantum personæ,
earumque facultates; ut Augustus in promptu nôsset redi-
tus, vires, copias. Vid. de hac descriptione *Dionys. Halic. lib.*
4. cap. 19. Hanc descriptionem in Judæa tum temporis
sine dubio peregit *Quintilius Varus*, qui postmodum cum
tribus legionibus, legatisque & auxiliis omnibus à Ger-
manis cæsus est. *Sueton. in Oct. Aug. & Flor. lib. 4. cap. 12.*
Is enim Varus postremis Herodis Magni annis Judææ præ-
fuit. Alteram verò ἀπογραφὴν, de qua *Act. V. 37.* fecit
in Syria & Judæa *Cyrenius*, in eas regiones missus, ut iis
præesset & Archelai κτήματα facultates venderet, Judæam-
que Syriæ contribueret. Quâ contributione impleta est
prophetia *Esa. VII. 8.* scil. Christum venturum, quando
adhuc Damascus esset caput Syriæ, & non Judææ; quan-
do autem Judæa Syriæ addita est, Damascus caput fiebat
Judææ, Christusque jam venerat; scil. sub descriptione
οἰκουμένη.

(3) Autor noster negavit quidem & rectè ἀπογραφὰς
Luc. II. & *Act. V.* easdem esse; videtur tamen in ea senten-
tia

IV. Causa hujus factionis ita se habuit: Cyrenio hunc censum colligente, opesque Archelai arripiente, surrexit hic Judas, recusataque descriptione, populo dixit, descriptionem istam esse apertum servitutis signum, & quod neminem deberent dicere Dominum, nisi eum, qui esset Dominorum Dominus, coeli Deus atque terræ. *Vid. Joseph. loc. cit.* Qui ergo ipsius partibus studuerunt, nuncupati sunt *Gaulonitæ*, & etiam *Galilæi*.

V. Horum sanguis fuit, quem sacrificiis ipsorum miscuit Pilatus *Luc. XIII. 1.* qui aliàs nationi Galilæorum non præerat, aut imperitare poterat. Ratio hujus commixtionis esse putatur, quòd Galilæi vetarent victimas cædi pro salute Romani Imperii, aut Cæsaris; quâ re ad iram impulsus Pilatus ipsos victimas parantes victimas fecit. *Oecumen. Art. 5. 37. Theophyl. in Luc. XIII. 1. Joseph. lib.*

tia esse, quòd Cyrenio Præfide utraque descriptio facta sit; aut saltem quòd Cyrenius coadjutor fuerit Coponii vel *Quintiliū Vari*, quia exstat *Luc. 11. 2.* Ἄντι ἡ ἀπογεφυή πρῶτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντ' ὁ Συρίας Κυρηνίς; ubi videtur Cyrenius duas descriptiones fecisse, illam *πρῶτην primam* cum *Varo*, tempore Christi; *δευτέραν secundam*, *Archelao* relegato, solus. Sed jam antea firmatum est, *Cyrenium* demùm venisse in Judæam post novem & ultra regni *Archelai*, & totidem à nativitate Christi annos. Restat ergo, ut *πρῶτη* apud *Lucam* per comparativum gradum *πρῶτερον* exponatur, sicut istiusmodi locutio crebra est in S. Script. Videatur saltem locus *Joh. XV. 18.* πρῶτον ὑμῶν pro πρῶτερον ὑμῶν; item *Joh. I. 15.* Jam ἡγεμονεύοντ' ὁ Κυρηνίς non est Genitivus possessionis, sed comparationis, Græcis usitatus, quem Latini vel per Ablativum, vel per *quàm*, exprimunt: q. d. *Hæc descriptio prior fuit, quàm præsideret Syriæ Cyrenius.*

lib. 7. de B. J. cap. 28. p. 985. Hujus factionis confortes fuere illi latrones, *συνάεροι*, quorum meminit Lucas *Act.* XXI. 38.

XI. Quod ad *Herodianos*. Illi, qui *Herodianos* Hæreticis accensent, hæresin eorum in duobus consistere dicunt. 1. Quod *Herodem Magnum* haberent pro Messia (4) promisso, quia ipsius
ut

(4) Judæi quum observarent tempus Messiae adesse, elapsis omnibus adventus illius signis, quæ Moses enumerat *Deut.* XXX. 1-10. & numero sex sunt. 1. Quod subjugarint omnes Cananæos, & multiplici Dei gratiâ in *Palæstina* fructi sint. 2. Quod etiam maledictionem non evitarint, sed, deportatis Tribubus, dulcem patriam tempore *Zedekiae* relinquere coacti, anteaque etiam sæpè ab hostibus oppressi sint. 3. Quod egerint *μετάνοιαν* *resipiscentiam* in *Babylonia*. 4. Quod Deus ipsos recollecterit miseratus. 5. Quod collecto *Israëli* Deus multis modis benefecerit, redditis templo, urbe, libertate. 6. Quod Deus ipsos multiplicaverit præ patribus, partim auctione seminis, dum Judæi in immensam multitudinem creverunt; quod claret ex historia *Josephi* de obsidione *Hierosolymorum*, & ex illis *Clementiani* versibus:

Atque utinam nunquam Judæa subacta fuisset

Pompeji bellis, Imperioque Titi.

Latiùs excisa gentis contagia serpunt,

Victoresque suos natio victa premit;

partim suppressione vicinorum populorum, præprimis *Edomitarum*, quos Judæis subegit *Johannes Hyrcanus* *Simonis* filius, & circumcidere se jussit: quodque Deus ipsos plenâ manu omniumque rerum & bonorum ubertate saturârit, adeo ut tunc *Messias*, si mundum saluaret, *mel & butyrum comedere* dici posset. Hæc signa, inquam, quum Judæi cernerent elapsa, facillè quemvis potentem ex sua religione pro Messia recipiebant, qui ipsos in libertate conservaret, *Dominosque gentium redderet*; quâ
senten-

ut ἀποφύλας imperio cesserat Sceptrum Judæ;
quale sceptri ablati tempus adventum Messiaë in-
dicare debebat. 2. Ipsius natalem diem superstitionis
sacris & festivitibus quotannis restaurarent.
De cujus natalitio die Poëta *Persius Sat.* 5. ita canit:

———— Cùm

Herodis venere dies, unctaque fenestrâ

Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,

Portantes violas; rubrumque amplexa catinum

Cauda natat Thygni; tumet alba fidelia vino.

Num hîc sermo sit de *Herode Magno*, dubito; quoniam ne ullum quidem ex Antiquis novi, qui meminert natalis diei *Herodis Magni*; alius fuit *Herodes*, scil. *Antipas*, πετράρχης Galilææ, (5) cujus legimus natalem celebratum *Marc.* VI. 21.

VII.

sententiâ sibi-ipsis imposuere, putantes Messiam fore Regem terrenum. Unde tam acerrimè ausi sunt cum Romanis & Tito configere, scientes impossibile esse, se cum templo illo perituros, antequam venerit Messias; unde etiam tot Pseudo-Messiaë hærentes fluctuantisque Judæos ad extremum vitæ fortunæque agonem sæpè perduxerunt. Videatur *Mornæus de verit. Relig. Christ. cap.* 29. Jam non mirum fuisset, si ditiores Rabbini, quosque amor terreni regni in transversum rapuit, Herodem opibus viribusque munitum Messiam salutassent. Hoc ideo pono, non quòd hujus sim sententiæ, *Herodianos* habuisse Herodem pro Messia, sed ut ostendam, quàm facillimè viri docti in eam opinionem trahi potuerint: plausibilior enim est sententia Autoris statuentis, *Herodianos* fuisse aulicos, cum Herode Rege pro injuncto Cæsaris tributo stantes.

(5) Uti nec de *Herode patre* hîc sermo videtur esse, ita nec de *Antipa filio*. Sed de *Aristobuli filio*, *Herode Agrippa*, *Herodis Magni nepote*, i. Quia credibile est, Judæos in
ipsum

VII. Prius, quòd *Herodiani* Herodem pro Messia habuerint, licèt id multorum Autorum gravitate nitatur, scil. *Epiph. her.* 10. *Theophyl. in Matth.* XXII. 16. &c. alii non sine ratione eludunt. *Hieron. in Matth.* XXII. 17. Si enim *Herodiani* fuissent Judæi, quod plurimi eunt affirmatum, quomodo sibi potuissent persuadere, Herodem ἀλλόφυλον *alienigenam*, esse Messiam; quum constaret ex Prophetis, Messiam futurum esse *Judæum*, ex tribu *Juda*, & familia *Davidis*?

VIII. Aliis placet, *Herodianos* fuisse certos gnathones in aula Herodis, in gratiam Regis multas Religionis patriæ partes deserentes. *Beza in Matth.* XXII. 17. (†) IX.

ipsius honorem & gratiam, ut quem impensè amabant ob duas causas; quòd esset A. persecutor Apostolorum. *Act.* XII. 1. 2. 3. B. Religiosus cultor legis patriæ, dum amolitus est lenibus dictis apud Caligulam, ne Judæis obtruderetur Caligula ut Deus, vel colossus Jovis in templo adorandus; ob hæc, inquam, credibile est, Judæos ipsius natalem tanquam faustum diem feriatos esse, præeunte exemplo patris. *Marc.* VI. 21. *Matth.* XIV. 6. *Gen.* XL. 20. 2. Quia Persius ipsius tempore vixit, & sine dubio ipsum vidit apud Cajum in deliciis esse, adeo ut omnes ritus ac solennia Judæorum & Agrippæ facilè nôset. Siquidem Persius natus anno vigesimo primo imperii Tiberii, suâ vitâ & Caji & Claudii tempora vicit, Romæque studiorum gratiâ vixit, cum Agrippa ibidem vinculis solutus, amore Caligulæ frueretur.

(†) Quicquid fuerit cum istis Antiquis *Herodianis*, Hodierni quinam sint, res ipsa loquitur; nimirum, tum qui Regibus Principibusque palpum obtrudunt, Divina sæpe privilegia, cultum, & in conscientias potestatem, tribuentes; tum qui subditos omnibus emungi consulunt & ad motus eo modo concitant, populo æque ac Christo adversi.

IX. Ut prætereamus multas alias opinionum nugas, ambabus ulnis amplector sententiam Hieronymi in Matth. XXII. 17. statuentis, Herodianos eos fuisse, qui dimicabant pro censu Cæsari dependendo. Herodis enim fuit, Cæsaris descriptionem urgere, ut cui coronam debebat, non tam ratione gratitudinis, quàm prudentiæ politicæ, ne is, qui coronam indulserat, quique rursus auferre poterat, regio ipsum folio excuteret. Quo respectu, cùm Herodes quæreret Christum neci dare, & Herodiani cum Pharisæis fallaci verborum nexu intricare vellent, consiliumque contra eum inirent, dixit Salvator noster Marc. VIII. 15. Βλέπετε αὐτὸ τὸ ζύμης cavete à fermento Phariseorum & Herodis, h, e, funestâ doctrinæ lue, vulpinâque fraude.

K

MOSES

utriusque miraculi concursus docuit, adesse finem ceremoniarum Judaicarum, & Gentium idololatriæ, eorumque casu stabilitum iri filii Dei regnum.

CAP. II.

De Synagogis, Scholis, &
προσευχῆς.

VOcabulum, *Synagoga*, Græcum est, venitque à συναγωγή colligo; sic ut quibusvis rebus colligendis adhibeatur; ut συναγωγή γάλακτος copia lactis, συναγωγή πολέμου, collectio eorum, quæ sunt ad bellum necessaria. Deus stat בְּעֵרְתָּ לְךָ בְּעֵרְתָּ עַן συναγωγή in cætu Dei Ps. LXXXII. i. Veruntamen *Synagoga* plerumque sumuntur pro ædibus Divino cultui sacris, in quibus fas fuit precari, concionari, disputare, non autem sacrificare. Hebræis dicitur συναγωγή בֵּית הַכְּנֶסֶת domus congregationis.

itaque rei idem fortiter instaret *Alypius*, juvaretque provincia *Rector*, metuendi globi flammæ prope fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecere locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum; Hocque modo elemento destinatiùs repellente, cessavit inceptum. Quæ templi sepultura docet, jam venisse tempus, quo Deus sit invocandus in omni loco. *Mal. I. ii. Job. IV. 21. 1. Tim. II. 8.* quo frater fratrem sit invitaturus sub vitem & ficum, h. e. parietes privatos, ad discendum erudiendumque, quum omnes docti futuri sint à Spiritu S. *Matth. XVIII. 20. Zach. III. 10.* quum cultus non magis sit restrictus ad Hierosolymam terrestrem & montem Tzionem *Deut. XII. 5. 6. Exod. XX, 24.* quàm ad ullam aliam urbem vel domum,